



# PRÆDICABILIA

## SCOTI.

### DE DIFFERENTIA.

#### QVÆSTIO I.

*An divisio prima differentie sit conveniens?*

*Differentia vero communiter, proprie, & magis proprie, dicitur. Cap. quarto.*



**C**IRCA capitulum de Differentia quæritur primo, an hæc divisio prima Differentie: scilicet, in differentiam communiter, proprie, & magis proprie, sit conveniens? Quod non videtur: quia non est divisio generis in species; genus enim que proprie dicitur despectibus: nec totius in partes integrales: quia totum non prædicatur de partibus talibus: sed Divisum hinc prædicatur de diuisentibus: nec vocis in significationes: quia tunc hæc vox, Differentia, primo importaret illa tria: & non sequeretur ad diuisio: nec esset diffinitio: quia æquiuoci non est diffinitio: nec est aliqua diuisio per accidens: patet: quia in omni membro diuisio intelligitur per se Divisum: quod nunquam accidit in diuisio per accidens.

Item: hæc diuisio non est per opposita: tu in quia est trimembris: ergo aliquod membrum alteri non opponitur: quia tantum vnum vni opponitur: tum quia ad vnum membrum sequitur aliud:

sequitur enim: differunt magis proprie: ergo differunt communiter: id est accidente aliquo: sequitur etiam differunt proprie: ergo communiter: & etiam sequitur: differunt magis proprie: ergo proprie. Consimilis dubitatio est de diuisio, quæ ponitur ad declarandum diffinitionem generis: ibi eorum, quæ prædicantur, &c. quia quod prædicatur de pluribus, prædicatur proprie: quod de vno solo, communiter: vnum etiam membrum videtur sequi ad aliud: & vniuersaliter de diuisioibus per proprie, & communiter datis.

*Ad oppositum est Porphyrius.*

Dicendum: quod tales diuisiones sunt bonæ: quia sunt vocis in significationes: non vocis æquiuoce penes primum modum æquiuocationis: quia sic æquiuoca primo important multa: sed penes secundum modum: quia vox sic æquiuoca significat vnum proprie, & ex impositione; aliud transumptiue, & ex vsu: sicut dicit Aristot. primo Elenchorum, secundus modus est ex eo, quod soliti sumus sic dicere.

Ad primum argumentum patet: quod non sequitur ad diuisio: neque diffinitur, vt æquiuocum: sed sumpta in vno sensu vniuersaliter est, & potest diffiniri, & esse principium consequentia.

Ad

6. Topicor. cap. 2.

Cap. 2.

## ARTIC. I.

*An divisio Differentie, in communem, propriam, & propriissimam, sit sufficiens?*

**P**RO parte negatiua, vltra rationes Doctoris, arguitur: quia est diminuta: ergo: probatur antecedens: sub hac enim diuisio non comprehenduntur propriae passionis: cum nec communes sint, sunt enim inseparabiles: nec propriissimæ: quia non sunt essentielles: nec propriae: cum non suscipiant magis, & minus: nec comprehendit differentias indiuiduales, quæ verè faciunt differre: & non sunt communes: quia non sunt accidentia: nec propriae: quia faciunt diuisum per se: nec propriissimæ: um non sint differentiae specificæ: ergo, &c.

Confirmatur primo: nam genera generalissima, & ipsa Differentia, differunt: & non per nullam istarum: ergo.

Confirmatur secundo: sexus masculinus, & femininus, sunt Differentia animalis: & tamen nulla istarum sunt: ergo.

Secundo, principaliter arguitur: substantia distinguitur ab accidente per ly, per se: sed non est differentia communis, nec propria: quia ista sunt differentia ad modum accidentium: per se vero non est accidens: nec propriissima: nam hæc diuidit genus, & constituit speciem: substantia autem, cum sit genus generalissimum, non habet supra se aliud genus, quod per Differentiam diuidatur: nec constituit speciem: quia generalissimum taliter est genus; quod non possit esse species: ergo ly, per se non includitur in prædicta diuisio.

Notandum primo, quod differentia communis, sic dicitur: vel quia est in vsu communiter loquentium, vel quia à causa extrinseca prouenire potest: vel quia modo vni extremo, modo alteri conuenire potest: & hæc est, quæ alterum differre ab altero, vel à se ipso, alteritate quadam: hoc est diuersitate quadam quocumque modo: vt Sortes sedens differre à non sedente, etiam à se ipso. Differentia propria sic dicitur: quia proprie (licet non vt proprium) differre facit: vel quia est in vsu proprie loquentium: & talis est; quæ vni ab altero differre accidente inseparabili à causa naturali prouenienti: vt Sortes simus differre ab aquilino. Differentia propriissima sic appellatur: quia magis proprie facit differre; seu quia est in vsu sapientium, qui rerum Differentias agnoscunt: & hæc est, quæ vnum differre ab alio specificè, & essentialiter: vt homo rationalitate differre ab Equo.

Ex quibus patet: has omnes differentias conuenire in hoc, quod est facere differre: differunt tamen: nam communis, & propria, tantum alteratum faciunt: id est differre accidentaliter: propriissima vero facit aliud; id est differre essentialiter. Secundo differunt: quia duæ priores tantum accidentaliter de subiecto prædicantur, nec eius essentialem diffinitionem ingrediuntur: è con-

Ad secundum dico: quod membra sunt opposita.

Ad primum contra hoc dicendum: quod habet reduci ad diuisioem bimembrem sic: differentiarum, quædam magis propria, quædam non magis propria: & vltra: non magis propria, quædam propria, quædam communiter: & sic vniuersaliter omnis diuisio non bimembris reducitur ad bimembrem. Alia autem membra posita sunt membra subdiuisiois: & ponuntur propter breuitatem loco diuisio in eo: ex hoc quod diuisum est vnum membrum principalis diuisiois.

Ad secundum contra hoc dico: quod membra debent intelligi sub præcisione: & sic nullum sequitur ad aliud. Sic etiam in diuisioe sequenti, quædam facit alteratum; quædam aliud: quæ membra non sunt opposita, nisi sumatur alteratum tantum.

### Summa textus.

**Q**VIA Porphyrius tres, aut quatuor Differentia diuisiones assignat, quarum prima est, in communem, propriam, & propriissimam: primo de hac in initio huius capituli de Differentia, inquit Doctor: an sit conveniens? Partem negatiua m dupluciter probat: tum quia hæc diuisio sub nulla specierum diuisioe continetur: patet per singulas discurrendo: & discursus patet in littera: tum etiam quia deficit ei vna ex conditionibus bonæ diuisiois: est enim trimembris: quare vnum membrum non opponitur alteri: aliter vni plura opponerentur, contra Aristot. decimo Metaphysic. text. 17. & primo Periherm. cap. 3. & vltra quia vnum membrum sequitur ad aliud: quod non conuenit oppositis: ergo talia membra non sunt opposita: ergo nec diuisio bona.

1. Conclus. His tamen non obstantibus dicit primo, hanc esse bonam diuisioem: patet ex solutione argumentorum.

2. Conclus. Secundo dicit: hanc diuisioem esse æquiuocam in secundo modo æquiuocationis: quia hoc nomen, Differentia, proprie significat differentiam propriissimam, & transumptiue alias duas.

Tandem soluit argumenta dicens ad primum: diuisioem esse æquiuocam non in primo, sed in secundo modo æquiuocationis.

Ad secundum ait esse diuisioem bimembrem per reductionem: vnde breuitatis causa differentia communis, & propria, ponuntur loco sui diuisio, quod est differentia non propria.

Ad aliam probationem dicit: quod membra cum præcisione non se inferunt: non enim sequitur: differunt tantum proprie: ergo differunt communiter. Et sic de alijs membris aliarum diuisioem dicatur. Sed pro maiori dictorum explicatio ne fit Articulus sequens.

1. Argum.

1. Confirma.

2. Confirma.

2. Argum.

1. Nota.

Corollari.

tra vero differentia propriissima. Differunt tandem: quia differentia communis est à subiecto separabilis: alia tamen duæ inseparabiles, diuersimodè tamen: nam propria est inseparabilis secundum quid: hoc est, quia per naturalem potentiam separari nequit: vel quia faciliter non potest per naturam separari: attamen differentia propriissima est per se, & simpliciter inseparabilis, etiam de potentia absoluta.

2. Not.

Secundo notandum: quod illa, quæ distinguuntur, sunt in duplici differentia: quædam dicuntur primo diuersa, & sunt, quæ se totis obiectiue differunt; id est, quæ in nullo superiori dicto de illis in quid, conueniunt: quædam dicuntur differentia: & sunt, quæ in aliquo superiori prædicato dicto in quid de illis, conueniunt; & per aliquid sibi intrinsecum differunt: & hæc adhuc discriminantur: alia enim sunt ex genere, & differentia composita: vt species; alia dicuntur constituta ex aliquo communi, & modo intrinsecum: vt sunt decem prædicamenta: compositum enim, & constitutum, sicut superius, & inferius, se habent.

3. Conclus.

Dicendam primò. Diuisio à Porphyrio tradita est sufficiens: est communis, & probatur tum auctoritate Porphyrij: tum etiam quia membra diuisoria exhaustiua totam confusionem diuisiua: vt nec plura, nec pauciora, esse possint: nam quidquid ab alio differt; vel differt essentialiter, vel accidentaliter: si primo modo, differt per differentiam propriissimam: si secundo: aut separabiliter; & differt differentia propria: aut inseparabiliter; & differt differentia propriissima: ergo cum non detur alius differendi modus, sufficiens est hæc diuisio.

2. Conclus.

Dicendum secundo. Omnes alie diuisiones à Porphyrio assignatæ sub ista diuisione comprehenduntur: hæc etiam videtur communis, & induciue probatur: nam differentia, quæ constituit differens, seu diuersum per accidens, sub communi, & propria, comprehenditur: constituens vero diuersum per se, sub propriissima. Similiter differentia separabilis est communis inseparabilis propria, vel propriissima: eadem differentia, quæ diuidit genus, & constituit speciem, sub propriissima collocatur; ergo, &c.

Ad primū

Ad argumenta: ad primum dico: quod propria passio continetur sub differentia propria: est enim accidens inseparabile faciens accidentaliter, id est non essentialiter differre: nec exinde sequitur, propriam passionem suscipere magis, & minus: nam Porphyrius non vult, hoc omnibus differentijs proprijs, sed aliquibus tantum conuenire: & idem de differentia individuali dicitur (quidquid velit Magister Oña ipsam ad propriissimam reducens) nam non essentialiter facit differre, sed materialiter tantum: & ita non facit aliud substantiue, sed adiectiue, quæ alietas accidentaliter est: vt accidentale opponitur essentiali: licet differentia individualis, vt intrinsecè individuum constituit, possit dici habere aliquam similitudinem cum propriissima: vt volunt Rubius, & alij.

Ad primū confirmat.

Ad primam confirmationem patet ex notabilis. secundo generalissima enim sunt primo di-

uersa aliquo modo; & ideo non differunt differentijs, sed modis intrinsecis; quæ differentia propriissima transcendentalis est, licet non prædicamentalis, & de qua loquitur Porphyrius.

Ad secundam confirmationem dicendum: quod masculinum, & femininum, sunt differentie accidentales propriae, & à subiecto inseparabiles.

Ad secundum patet ex solutione primæ confirmationis: substantia enim, & accidens, per modos intrinsecos differunt; quæ differentia propriissima transcendentalis appellatur.

ARTIC. II.

An prædicta Diuisio sit simpliciter æquiuoca nuncupanda?

QUIA opiniones, quæ circa hoc versari queunt, faciliter in concordiam reuocantur: ideo eas cum suis fundamentis non adducimus: sed prout omnium intelligentia notandum primo, quod Diuisio, prout nunc de Diuisione loquimur, est duplex: alia, quæ datur per negationem: vt animalium; aliud homo, aliud non homo: & hæc semper est bimembris, & per immediatam oppositam datur. Alia, quæ datur per affirmationem: vt animalium, aliud homo, aliud brutum: & hæc non oportet esse semper bimembrem, nec per immediatam oppositam dari. Et hæc secundum Boetium in lib. suarum Diuisionum, est duplex: alia per se, alia per accidens: per se adhuc triplex: alia generis in species, ad quam reducitur diuisio generis in differentias, & speciei in individua: alia est diuisio totius integralis in suas partes: vt domus in parietem, & tectum; ad quam reducitur diuisio totius essentialis in suas partes: vt homo in animam & corpus; vel in animal, & rationale: alia est diuisio vocis in sua significata: vt canis in terrestrem, coelestem, & marinum; quæ proprie dicitur æquiuoci in sua æquiuocata: & hæc adhuc subdividitur: vel in significata, quæ æque primo absque aliquo ordine reali æquiuocata: ut inter se importat, quæ propria æquiuoca dicitur: aut est diuisio in significata, inter quæ est aliquis ordo, seu proportio: & hæc est diuisio æquiuoci Analogi in æquiuocata Analogata.

Diuisio per accidens est triplex: aut subiecti in accidentia: vt animalium, aliud album, aliud nigrum: alia accidentis in subiecta: vt alborum, aliud Bos, aliud Leo: alia est accidentis in accidentia: vt alborum, aliud dulce, aliud amarum.

Ex quibus patet diuisionem per se esse quid superius ad diuisionem vniuocam, æquiuocam, vel Analogam: & idem dico de diuisione per accidens. Itaque si diuisum, siue per se, siue per accidens, diuidatur; æqualiter conueniat suis membris diuisiuis, talis diuisio dicitur vniuocata: autem inæqualiter, sic, vt vni per se primo, & alteri secundario, vel minus principaliter; dicitur Analogata: si tandem diuisum sit sola vox in suas significationes, dicitur diuisio æquiuoca; quæ etiam

Ad secundam confirmat.

Ad secundum.

1. Notand.

etiam Analogam secum patitur: Analogia enim cadit, vel sub vniuocatione, vel sub æquiuocatione; vt in antepædicamentis dicemus.

2. Notan.

Secundo notandum: quod diuisum, in hac diuisione, non est differentia, quæ tertium prædicabile constituit; sed est quid communius ab omni illo, quod differre facit, siue essentialiter siue accidentaliter abstractum, cui à parte rei non correspondet aliqua realitas, in qua membra diuisoria conueniant, sed tantum idem modus se habendi per vnam vocem significabilis; non tamen quod in re sit talis modus proportionalis: non enim ita album distinguit Socratem à Platone; sicut rationale hominem ab Asino. Vnde prædicari in quale conuenit æquiuocè differentie, Proprio, & Accidenti. Est ergo hæc vox differentia, æquiuocè significatiua harum trium intentionum, cui nulla realiter, nec idem modus se habendi, correspondet à parte rei, in quibus vnitas illarum fundetur; sed solum idem modus referendi per vocem significabilis, in qua voce tantum habent vnitatem.

Dices: quælibet differentia à parte rei facit differre: ergo à parte rei conueniunt in hoc: saltem quoad modum proportionis: antecedens patet: nam à parte rei conueniunt in hoc, quod est esse actum, & formam, quæ facit differre: sed esse actum vniuocè, vel saltem quoad modum proportionis, conuenit omni formæ à parte rei, tam substantiali, quam accidentali: vt vult nos- ter Antonius Andreas super sex principia quæst. 3. igitur, & facere differre vniuocè à parte rei, vel saltem quoad vnitatem proportionis, his tribus differentijs conuenit.

Respondeo: verum esse: quod sicut forma à parte rei facit differre: sic differentia ab illa desumpta. Cæterum quia à parte rei datur forma completa, & incompleta; prædicamentalis, & transcendentalis; positiua, & priuatiua, quibus non datur vna communis realitas, nec similis modus se habendi, in quo fundetur vnitas proportionis: ideo non potest ab illis conceptus vniuocè abstrahi; sed tantum conceptus æquiuocè proportionis, transumptiua: ac per consequens, nec de differentia sic communiter sumpta, quatenus prædictis formis correspondet. Nec oppositum vult nos- ter præclarus Scotista: nam ibi loquitur de formis eiusdem naturæ, & rationis: hoc est; vel de formis completis, vel de incompletis: & sic de singulis: de his enim, vel de illis, prout communem habent modum informandi, complete, vel incomplete, positiue, vel priuatiue; essentialiter, vel accidentaliter; potest abstrahi conceptus vniuocè, saltem vnus vnitate proportionis. Attamen nos non loquimur de differentia, præcise his, vel illis formis correspondet; sed prout ab omnibus desumitur.

3. Nota.

Tertio notandum: quadrupliciter posse differentiam, quæ est diuisum in hac diuisione, ad sua diuisoria membra comparari: primo, quando diuisum, & membra diuisoria, prime intentionali- ter sumuntur: secundo, si diuisum accipitur prime intentionali- ter, & membra diuisoria secunde intentionali- ter: tertio, è contra, si diuisum secunde intentionali- ter, & membra diuisoria

prime intentionali- ter capiuntur: quarto tandem, quod tam diuisum, quam membra diuisoria secunde intentionali- ter sumantur.

Dicendum primò. Si diuisum, & membra diuisoria, prime intentionali- ter sumantur; hæc diuisio est æquiuoca Analogica in secundo æquiuocationis modo: hæc simpliciter est in doctrina Doctoris concedenda; & de ea intelligitur in litera; quem sequuntur Caietanus, & Sorus in hoc capite cum copulara Louanien- sis; sicut Auicenna cap. 10. suæ Logicæ, Amosij, & Alberti, sententia. Probatur primo. Differentia in communi proprijs, & perfectius includitur in differentia propriissima, quam in alijs: ergo hæc diuisio est Analogica: non vniuocata: vt patet ex not. secundo; ergo æquiuoca: quia Analogum non est mediū inter vniuocum, & æquiuocum: vt in antepædicamentis dicemus. Antecedens probatur: nam ratio differentie in communi est facere differre, secundum Porphyrium: sed hoc quod est facere differre conuenit propriissima per se, & alijs per accidens, secundum proportionem Analogam in voce tantum: ergo, &c.

1. Conclus.

Confirmatur: quia differentia communis, & Propria, dicuntur differentie per attributionem ad propriissimam: ergo Analogicè participant rationem differentie in communi: modo explicato.

Secundo, idem est principium constitutiuum, & distinctiuum: sed differentia propriissima constituit, & distinguit essentialiter; differentia vero communis, & propria, accidentaliter, transumptiue, & secundum quid: ergo, &c.

Tertio, si ratio differentie in communi esset aliquo modo vniuocata his differentijs, sequeretur quod omnes tres ad hoc tertium prædicabile pertinerent; cum sint species contenta sub eodem genere; & æque rationem differentie participant; hoc autem est falsum; cum sola differentia propriissima ad hoc prædicabile spectet; ergo nihil vniuocum commune: aliquo modo potest dari illis; ergo æquiuocum Analogicè tantum.

Dicendum secundo, si diuisum prime intentionali- ter; & membra diuisoria secunde intentionali- ter sumantur; diuisio hæc est subiecti in accidentia; patet; quia cuiuslibet primæ intentioni accidunt secundæ; vt supra diximus; ergo.

2. Conclusio.

Dicendum tertio. Si diuisum secunde intentionali- ter, & membra diuisoria prime intentionali- ter capiuntur; est diuisio accidentis in subiecta; patet; nam accidunt talibus differentijs secundas intentiones denominari.

3. Conclusio.

Dicendum quarto. Si tam diuisum, quam membra diuisoria, secunde intentionali- ter accipiantur; diuisio hæc est vniuocata; generis scilicet, in species; itaque secunda intentio differentie in communi est genus ad secundam intentionem differentie communis, propriae, & propriissimæ; prout quælibet est secunda intentio metaphysicè considerata; & non Logicè, ac vt primis intentionibus applicabilis; nam vt sic, hæc diuisio, etiam secunde intentionali- ter capta, est etiam æquiuoca in sensu primæ conclusionis; secunda enim intentio, vt applicabilis primis; nam

4. Conclusio.

ram sequitur primarum : & cum à parte rei nihil detur commune vniuocum his differentijs ; ita nec Logicè dari potest ; bene tamen in sensu nostræ conclusionis , quæ probatur primo , per Porphyrium in hoc cap. dicentem : omnes differentias conuenire in hoc , quod est facere differre : & postea nominat eas , species Differentiæ : ergo est diuisio generis in species : ergo vniuoca.

Secundò , si non esset diuisio generis in species ; maxime quia Differentiæ prime intentione liter sumptæ in nullo vniuoco conueniunt : sed hoc non obstat : quia non loquimur de eis , vt applicantur primis intentionibus : ergo.

QVÆST. II.

An hæc sit vera: Sortes senex differt à se ipso puero?

Differt enim Sortes à Platone, alteritate: & ipse à se senex, vel iam puero, vel iam viro. Cap. eod.



VERITUR circa primum membrum diuisionis Differentiæ : an hæc sit vera: Sortes senex differt à se ipso puero? Quod non videtur: quia relatio requirit duo extrema in actu: quia si sic, suum subiectum est; & si hoc, eius correlatum est: quia relatiua sunt simul natura: sed Sortes senex, & Sortes puer non sunt simul natura in actu: ergo Differentia, quæ est relatio quædam, non est inter illa, vt extrema: cuius oppositum notat illa propositio.

Item: si Sortes senex differat à se ipso puero: ergo non est idem sibi puero: ergo non est idem sibi. Prima consequentia patet: quia idem, & differens, opponuntur: ergo ad vnum sequitur negatio alterius. Probatio secundæ consequentiæ: negatio in antecedente negat identitatem vniuersaliter: ergo sequitur negatio identitatis eiusdem à se: sicut à superiori ad inferius negando: & hoc tantum significat consequens.

Item sequitur: Sortes senex differt à se puero: ergo Sortes senex, & Sortes puer, differunt: ergo Sortes senex, & Sortes puer, sunt multa: & ultra: ergo Sor-

tes, & Sortes, sunt multa: consequens est falsum: ergo, & primum antecedens. Probatio primæ consequentiæ: sic enim sequitur in omnibus relatiuis æquiparantiæ: sequitur enim: Sortes est similis Platoni: ergo Sortes, & Plato, sunt similes: & ratio est hæc: quia relatiuum æquiparantiæ æqualiter denominat vtrumque extremum. Probatio secundæ: Differentia est species multitudinis per Aristot. quinto & decimo Metaphysic. sequitur ergo: differunt: ergo sunt multa: sicut sequitur: album est: ergo coloratum. Probatio tertæ consequentiæ: quia ab inferiori ad suum superius tenet affirmando: quemadmodum à determinatione non diminuente, sequitur ad determinabile: sic arguitur ibi: ergo consequentia bona.

Text. non habere cap. text. com. 10. 12. 17. & inde.

Ad oppositum est Porphyrius.

Item: arguitur ratione sic: circa ens immediate opponuntur idem, & diuersum, per Aristot. decimo Metaphysic. aut ergo Sortes senex, & Sortes puer, sunt idem, vel diuersum: non idem: quia tunc hæc affirmatiua: Sortes senex est Sortes puer: esset vera: sed hoc est falsum: ergo diuersum: & hic sumitur differens, vt est commune ad omne diuersum.

Text. com. 12.

Respondeo dicendum: quod propositio distinguenda est secundum æquiuocationem: quia sumptò differre in communi est vera propositio: quia isto modo quodcunque accidens impedit omnimodam identitatem. Accipiendo tamen Differentiam proprie, vel magis proprie, est propositio falsa: vt patet ex ratione istarum Differentiarum.

Ad primum argumentum potest dici: quod oportet extrema relationis esse in actu quoad rationem referendi, & non quoad existentiam: quia prius, & posterius, licet non simul existant: tamen simul sunt, secundum rationem, qua referuntur: nam quando prius est sub ratione prioris: posterius est sub ratione posterioris: licet tunc non existant.

Aliter potest dici: quod Sortes puer non est per se extremum huius relationis: sed Sortes puer differens: quia per se extrema relationis æquiparantiæ nominantur eodem nomine illius relationis: illud autem extremum est per se simul cum Sorte senex differente: quia pro-

codem

eodem tempore est hoc differens ab illo: & illud ab illo.

Ad secundum dico: quod hæc consequentia non valet: non est idem sibi puero: ergo non est idem sibi: quia in prima negatur identitas respectu termini accidentalis: in secunda vero respectu substantialis, qui importatur per sibi, quod est relatiuum reciprocum: & in hoc fit fallacia consequentis: quia ad diuersitatem accidentalem, non sequitur diuersitas substantialis: sed e conuerso. Sed sibi, sibi, in consequente referat antecedens eum determinatione, scilicet, hoc totum: Sortes senex: tunc patet consequentiam non valere: quia in antecedente, & consequente, respectu diuersorum terminorum accidentalium, negatur identitas. Vnde quod hic assumitur in probatione: quod in antecedente negatur identitas; uniuersaliter falsum est: sed tantum respectu huius termini, Sortes puer.

Ad tertium dico: quod negatur prima consequentia propter negationem inclusam in differt: vt patet in alijs: quia hæc est vera: Sortes differt ab omni homine: sicut Sortes non est idem omni homini: hæc tamen est falsa: Sortes, & omnis homo, differunt: sicut hæc: Sortes, & omnis homo, non sunt idem.

Ad probationem dicitur: quod tenet in relatiuis æquiparantiæ, vbi non includitur negatio: vt de simili patet: sic non est de Differentia.

Contra hoc: negatio inclusa in differt non tollit talem consequentiam: nisi propter hoc, quod terminus præcedens ipsum, & subsequens, diuersam habent suppositionem. Vnde tenet, obseruata eadem suppositione, talis consequentia, etiam cum differt: sed in singularibus non refert præponere, vel postponere negationem, per Aristot. secundo Perihementias: ergo in illis, cum differt, bene tenet talis consequentia.

Cap. 1.

Idem potest concedi illud vltimum consequens: scilicet, Sortes senex, & Sortes puer, sunt multa: sed non sequitur: igitur Sortes, & Sortes, sunt multa: quia illa determinatio in antecedente, respectu talis prædicati, dimittit à Sorte absolute: idem non sequitur, vt superius ad inferius: sed vt secundum quid

ad simpliciter. Similiter in illo coniuncto sumitur Sortes secundum accidens: quia secundum rationem alicuius, quod secundum rationem talis prædicati, est sibi extraneum absolute sumptò. & indicis secundum accidens, siue prædicatis, siue subiectis, non tenet à coniunctis ad diuisa per Aristot. secundo Perihementias. Text. 2.

Summa textus: simul & explicatio.

AD explicandam naturam Differentiæ communis, quæ est primum membrum diuisionis prædictæ, vltimè Porphyrius hoc exemplo: sicut Sortes senex differt à se ipso puero: de qua propositione inquit Doctor in præsentia, an sit vera, nec ne? Partem negatiuam tripliciter probat primo: ex natura relationis, & relatiuorum; nam omnis relatio; cum ab extremis dependeat; eo modo, quo ipsa est, requirit extrema: si enim fuerit relatio actualis, requirit extrema in actu; et si potentialis; in potentia: sed Differentia est relatio in actu existens: & extrema non actu existunt; nam implicat, vt Sortes puer existat; cum Sortes est senex; ergo, cum extrema actu non existant: Sortes senex non differt à se ipso puero relatione Differentiæ communis actualis.

Secundò, arguit per locum ab oppositis; & infert de primo ad vltimum, Sortem non esse idem sibi ipsi: quod implicat, loquendo de omni modo identitatis: & ostendit se arguere à superiori ad inferius negatiue; quod tamen non concludit argumentum, quod clare in littera est formatum.

Tertio, denique intendit probare de primo ad vltimum per tres consequentias, eundem Sortem esse multa: quod implicat.

Pro intelligentia tamen breuiter notat, propositionem istam distinguendam esse secundum æquiuocationem: nam potest intelligi de Differentia cõmuni, vt se extendit ad quodcunque accidens per accidens; vel potest intelligi de Differentia propria, vel propriissima: hac distinctione præmissa.

Nota

Dicit primo. Si Differentia sit propria, vel propriissima: Sortes senex non differt à se ipso puero patet: quia senectus, & iuuentus, non sunt Differentiæ essentielles, nec inseparabiles à Sorte: aliter enim semper ipse esset senex, vel puer: & non aliquando hoc, aliquando illud: ergo, &c.

1. Conclusio

Dicit secundò. Si loquatur de Differentia cõmuni: propositio est vera; patet per rationes ad opposita: auctoritate videlicet Porphyrii, & Aristot. 10. Metaph. & ultra ista Doct. senectus, in qua fundatur hæc relatio Differentiæ, est accidens cõmune impediens omnimodam identitatem: ergo talis relatio Differentiæ facit differre Sortem senem à se ipso puero: diuersum enim accidens est senectus à pueritia.

2. Conclusio

Dices